Acad. 21. 78. 44

Nobilissimo, doctissimoque Viro
Dno. Constantino Hugenio equiti etc.
S. P. D.
Isaacus Gruterus

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Vir Nobilissime

Quæ plurimis expleverunt curiositatis exultabundæ famem, propinquo ex-
pugnationi nuperæ augurio, castra, pæne mihi crearunt fastidium, cum
in natali solo, vicinâ Flandriæ militanti Auriaco infestæ orâ, positus per
Caniculare Academiæ justitium, et invitantibus ad circumvallantis in-
dustriæ spectaculum amicis comes, submoverer per castrenses occupationes a
congressu tuo. Cessit circumfluentibus negotiis officiosæ salutis gerulus,
captaturus literarii ministerii occasionem ex longinquo, ubi fortuna tur-
basset intituendi coram sermonis compendium. Hagâ ergo, juridicæ praxeos
tyrociniis porro destinandâ, te alloquor, quod festinatum in Bataviam
iter Middelburgo non patiebatur. Totum, quà patet, epistolæ argu-
mentum exhaurit affectus alacritas, Zuilichemianæ benevolen-
tiæ reddituræ visitante calamo tributum vivacissimæ recordationis.
Quam, si salvâ, quæ augustioribus debetur occupationibus, reveren-
tiâ, mutuam apud te fieri detur, nuperi casus solatio accedet renova-
tus amicitiæ obses. Da veniam licentiæ, quæ plusculum in chartâ
sibi indulget, arrogantemque Musicæ Cognationis privilegia apud
te validissimæ admissionis, illâ dignare, quâ primis secundisque oc-
cupatis, in tertiis, et ~~longo~~ extremâ quidem longi ordinis serie, subsi-
stere patitur natiire nimis depulsos a solidiore scientiarum pasti
eruditionis alumnos. Interim absentem Hugenium meliore sui parte
spectandum mihi exhibet novorum poëmatum liber, Brunonis tui com-
modato (forsan audacius petito, cum rogatæ vacuum dimisissent ~~offi~~
bibliopolia) suppleturus bibliothecæ necdum translatæ defectum.
Desultorius, inquam, per aliquot septimanas, itineri et necessariæ mo-
ræ impensas, lectos, Hagæ incidi in momenta desultoria, edecu-
matum authoris genium in castrensibus turbis velut securo Helicone
felicissimum testantia. Adeoque me afflavit spiritus tam acute tam ter-
se quoslibet, neque vexato cerebro natos, conceptus expedientis, ut
ad reliqua, suam post exspectativa Lebanam, vix patienter anhelem.
Sed hæc dicendæ salutis debita sunt; habitura ab humanitate tuâ
quidquid justæ excusationis dignè conferre scriptor nequit. Vale Vir
nobilissime et amantem amare perge. Hagæ ex ædibus clarissimi
Grasswinkelii, qui nobiscum ut veterem vetus hospes amicum stringit
limpidissimæ benevolentiæ ulnis, et officiosissime te salvere jubet.
XIII Calend. Octob. CIↃ IↃC XLIV.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 7
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3764

Nobilissimo, doctissimo viro

Constantino Hugenio equiti, Zuilichemi domino, Principi Auriaco a Consiliis et secretis etc.

Aen Mijn Heer
Mijn Heer van
Zuylichem
etc.

Amsterdam

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 7
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3764